





7. *Præb. num. 7.* #

DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE

1727 12/

JUDICE ADVO- CATO,

QVAM,
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
INDULTU ET DECRETO
INCLYTÆ

P. 461
FACVLTATIS JURIDICÆ,
IN ALMA LVDOVICIANA,

PRO
SVMMIS IN VTROQVE JURE
HONORIBVS AC PRIVI-

LEGIS RITE CONSEQVENDIS,
PUBLICO

MAGNIF. ET EXCELL. DN. PROFESSORUM
EXAMINI SVBMITTIT

AD DIEM APRIL. MDCCXXVII.

JOH. HARDMUTH RAYS,

ZWINGENBERGA-HASSO-DARMSTADINUS,
PER-ILLVSTRIS REGIMINIS GIESSENSIS ADVOC. ET PROC. ORD.



GIESSE,




TYPIS VID. JOH. REINH. VVLPPII, ACAD. TYPOGR.



JUDICE ADVOC
CATO
DEAM
DIPLOMATI
TO
FACULTATIS
IN ALMA M
BOON
S. NIMIS IN
BOON
MAGNE ET EXCEL. DI. PROFESSORUM
EXAMINI SVMMI
AD DIEM
JOH. HARMUTH RAYS
ZWINGENBERGA H. SO. DANKSTADINUS
H. SO. RAYN. QUINQUE ADVOC. ET PROC. ORD.
1782
T. VII. JOH. REINH. ALPH. A. AD. TYGER.

DEO
ET
PATRIÆ.





I. N. D. N. J. C.

S. I.

IN omni Judicio requiri accusatorem s. actorem, reum & Judicem, satis congrue asserit Isidorus in cap. forus. 10. X. de Verb. signif. conf. L. 62. ff. de Judic. quibuscum optime convenit Lauterb. in colleg. Theoret. Pract. tit. de Judic. §. 22. & 64. ubi distinguit personas Judicium constituentes in principales & minus principales, & inter illas actorem, reum & Judicem, inter has vero Assessores, testes, Advocatos &c. refert. Ex hisce mihi potissimum cum duabus saltem personis, altera principali, altera minus principali, Judice scilicet & Advocato, in presenti res erit: Quamvis autem maxima utriusque officium (prout ex inferius dicendis clarius patebit) intercedat differentia, nihil tamen impedimento est, quo minus interdum & Judicis & Advocati officium ab uno eodemque subjecto expediri, & ita quis non Judex tantum, sed etiam Advocatus esse possit: Quatenus igitur hic utriusque officii in eodem subjecto concursus, prohibitus & licitus sit, paucis & pro tenui virium mearum modulo exponere conabor.

§. II.

Cum vero secundum Gajum in L. 1. de O. J. cujusque rei potissima pars principium sit, etiam mihi, ne in hocce effatum impingerem cavendum, & brevibus saltem in originem tum Judicum tum Advocatorum inquirendum putavi. Postquam igitur natura hominum ita corrupta fuit, ut injusti omnes & ad inferendam aliis injuriam proni extiterint, tandem in magnas illas societates, quæ civitatum nomine nobis

veniunt, coivere, in quibus tamen etiam citra contentiones & absque litibus cohabitare nequibant; Interim tamen naturæ & instituto harum civitatum minime conveniebat, ut cuilibet propria autoritate Jus dicere, & ultionem illarum injuriarum sumere liceret, L. 14. C. de Jud. hac enim ratione futurum fuisset, ut summa imis, quadrata rotundis permiscerentur, infirmior etiam sub Justo clypeo propter defectum virium, succumberet, & tota res publica iterum everteretur: proinde talis adhibendus fuit modus, quo lites autoritate publica, honeste & secundum ordinem decidi, innocentes defendi, & ita saluti & conservationi civitatum consuli potuerit, id quod ipsissimum jus naturæ & jus divinum positivum fieri probat, imo præcipit teste Apostolo Paulo 1. Cor. 14. v. ult. Prout ergo hicce modus & ordo litium juxta leges præscriptas tractandarum finendarumque in Judiciis est conspicuus; Ita Judicia & per consequens etiam Judices, tanquam Judicii duces & Imperatores, & absque quibus Judicium esse non potest, Vultej. De Judic. L. 1. c. 4. n. 3. Juri naturali & divino positivo suos debere natales asserere nullus dubito, id quod ex variis tam N. quam V. testamenti locis adhuc clarius patescit: Diserte enim ipse Deus Deut. XVI. v. 18. Judices constitui jussit, conf. Sapient. VI. v. 4. imo Deut. I. v. 17. expressis verbis Judicium Dei esse asseritur, confirmaturque Rom. XIII. v. 1. & hinc etiam Tit. III. v. 1. & 1. Petr. II. v. 13. Regum Magistratumque jussis & ordinationibus parere jubemur: Successu tamen temporis pro diversis diversarum gentium moribus, Judiciorum quoque & Judicantium diversam plane introductam fuisse rationem & formam, nemo est qui ignoret. Advocatos autem quod attinet, illos pariter ex Jure naturali, suam ducere originem certum est: defensio enim in genere est Juris naturalis, ergo & hanc defensionis speciem sub se comprehendit. & huic Juri convenit, ut illi qui propter imperitiam vel aliud quodcumque impedimentum semet ipsos defendere, & causam suam agere nequeunt, ab aliis defendantur, arg. 5. 6. J. de artil. tur. add. L. 1. §. 2. ff. de procurat. hinc cum non omnibus ea esset Juris peritia vel facundia, ut in Judicio desiderium suum exponere, & alterius desiderio contradicere possent, & ut ut etiam hæc fuerit, multis tamen casibus rebus suis superesse impedirentur, necessarium fuit laudabile Advocatorum officium L. 4. C. de adv. 2. inde à patrocinio quod clientibus suis præstant,

stant, dicuntur patroni causarum, L. 14. C. de adv. 1. & Patroni litium, L. 7. §. 2. C. de adv. 2. Germanice *Weystände* / vid. ord. Proc. Hass. Darmstad. de anno 1724. part. 3. Tit. ult. circa finem.

§. III.

Vocis autem Judicis, ut ex §. præced. jam colligi potest, non illa hoc loco est significatio, qua Romani utebantur, qui hac voce plerumque denotabant Judicem pedaneum, & qui præter potestatem de facti controversi veritate cognoscendi & judicandi, L. 3. C. de Jud. pedan. nihil habebat, inde convenienter satis à judicando dictus fuit iudex, quæ appellatio ipsi quasi propria fuit, Vultej. de Jud. L. 1. c. 4. n. 5. Hic vero talis intelligitur, qualem usus & ratio judiciorum nostrorum probat, utpote quæ iudicis & Magistratus officium, quod apud Romanos à diversis plerumque perficiebatur personis, in uno subjecto conjunxit, & inde iudex in nostris judiciis longe majorem & excellentiorem, quam in Romanis, exercet potestatem, nisi quod in Judicibus nostris delegatis, vel Commissariis, quædam adhuc veteris illius moris vestigia interdem superesse & elucere Doctores statuunt, vid. Lauterb. Colleg. Theor. pract. tit. de Jurisd. §. 26. Missis igitur variis variorum definitionibus, iudicem definimus, *quod sit persona, qua publicam habet auctoritatem de causis controversis cognoscendi, eas decidendi, & iudicandum exequendi*, quam definitionem tradit Ludovici in Doctr. pandect. tit. de Judic. §. 8. Ante vero, quam Advocati definitionem subjiciamus, monendum est, cum quibusnam in præsentem nobis res sit: Constat enim crebriorem in Jure publico Imperii Romano-Germanici, Advocatorum fieri mentionem, & multa de iis observatu dignissima ibidem occurrere, imo ipsum Imperatorem nomine Advocati Ecclesiæ Romanæ insigniti, vid. Rec. Imp. Trevir. & Colon. de anno 1512. p. 1. T. 1. §. 4. Rec. Imp. Wormat. de anno 1518. proœm. Rec. Imp. Spirens. de anno 1529. §. 1. &c. Schilter. Tract. de pace religiosa Cap. 1. §. 5. Ulterius ex DD. Jurispublici constat, alios esse Advocatos provinciales, alios unius saltem civitatis, & aliam esse Advocatiam armatam, aliam ecclesiasticam, de qua materia vid. Struv. Prud. Jur. publ. c. 18. circa fin. c. 21. §. 16. & DD. passim. Jus feudale Longobardicum etiam Advocatiæ meminit 2. f. 27. §. 7. de his autem non agimus, sed de illis, qui tanquam personæ

personæ minus principales in foris sunt obviæ. Uti autem apud Romanos Advocari & Procuratoris officio, licet alias multis modis differret, vid. Calv. Lex. Jurid. Voc. Procurator, pag. m. 751. una eademque plerumque fungebatur persona, prout patet ex tit. Cod. de postul. & de Advoc. i. in primis ex L. 1. §. 11. ff. de extraord. cognit. ubi ille Advocatus dicitur, qui causis agendis quoquo studio operatur, quæ tamen appellatio nimis laxa est; ita & in nostris Judiciis, licet eadem adhuc hodie, quæ olim, utriusque officium intercedant differentiæ, plerumque tamen idem subjectum utrumque expedit officium. Interim ab officio procuratoris abstrahendo, Schutz in Comp. Jur. Lauterb. sub tit. de postul. recte Advocatum definit illum, *qui litigantibus causam legitime deducendo, patrocinium præstat.*

§. IV.

Præmissis hisce nonnulla etiam de utriusque, & primo quidem de Judiciis officio monenda veniunt: ubi considerandum est, quodnam sit officium ejus, qua constituendi, & qua constituti. Quemadmodum autem illud brevissimis, & solo Juramento, quod omnes omnino Judices, antequam Judicium suscipiant, secundum illam Justinianeam, & laudè & observatu dignissimam, constitutionem in L. 14. C. de Judic. præstare debent, interdum etiam prævio aliquali examine absolvitur; ita hoc juxta Ulpianum in L. 1. ff. de Jurisdic. latissimum & amplissimum est, cum illum, qui jus dicit, æstimare oporteat pro conditione causæ vel personæ, vel temporis, agente eodem Ulpiano in L. 72. ff. de Judic. add. L. 34. §. 8. de Jure jur. & L. 4. §. 1. in f. ff. de incend. ruin. naufrag. &c. ex quibus legibus satis apparet, non posse ob innumeras causarum & casuum in Judiciis occurrentium varietates, certas statui regulas, ad quas Judiciis officium per omnia adstringi possit: interim officium Judicis constituti triplici præcipue sese habet modo, aliud enim (1.) est ante sententiam, aliud (2.) in ipsa sententia & (3.) aliud post sententiam.

§. V.

In genere quoad tria hæc membra judex observet pulcherrimum illud Innocentii monitum in Cap. I. de sentent. & re judic. in 610 &

& Callistrati in L. 19. §. 1. ff. de offic. præf. In specie autem & quoad (1.) officium Judicis, tanquam publicum omnibus patere, & promiscue impetiri debet, non attento qualis quantusque sit, qui implorat, Ziegler de offic. Jud. concl. 23 §. 1. & in cit. lege 19. pr. de off. præf. judex, ut facilem in adeundo se præbeat, addito tamen hoc temperamento, ne se contemni patiatur, juberetur, hinc si utraque parte imminente, & litem peragere cupiente, eam accipere nolit, ipsi certam pœnam imponit L. 13. §. 8. C. de Judic. illum tamen qui causam fovet aperte injustam, & temere ad litigandum procedit, statim à Judicio repellere, & pœnis in Legibus statutis coercere potest, imo debet, conf. tit. Inst. de pœna tem. litig. vid. Vultej. de Judic. L. l. c. 4. n. 242. Mev. p. 1. D. 42. Si vero causam animadvertat dubiam, prima sit ipsius cura, ut, prævia tamen aliquali causæ cognitione, amicabile inter partes instituat composicio, concordia enim vel Judicio terminari debent lites cap. 1. in f. x. de Mut. petit. quocum optime concordat. Ord. Proc. Haff. Darmstad. de anno 1724. p. 1. Tit. 1. §. 4. ibi: so Dann die Güthe NB. angelegentlich gesucht &c. & P. 2. Tit. 2. §. 5, ibi: die Parthien forderst zur gütlichen Verhöhr vorsehieden &c. & Tir. 6. §. 1. ibi: so lang Hoffnung einer gütlichen composition vorhanden ist/ die Güthe angelegentlich tentiret &c. ita ut etiam in causis mandatorum C. & S. C. absque ulla distinctione, ante omnia via transactionis tentari debeat, vid. alleg. Ord. Proc. part. 2. T. 7. §. 2. ibi: zu forderst zwischen denen Parthien die Güthe alles angelegenen fleisses tentiret. &c. quæ omnia, ut jam monui ad litem incertam & dubiam restringenda sunt: inde judex non minus peccaret, si argumenta ad concordiam facientia in re dubia omitteret, Ventur. de Valent. in parthen. litig. L. 2. c. 4. n. 9. quam si litigantibus in re non dubia & certa transactionem persuadere vellet, arg. L. 1. ff. de transact. hac enim ratione jus, quod est alterius, ei adimeretur, & alteri, cujus non est, contra Juris principia tribueretur, Vultej. de Judic. L. 1. c. 4. n. 244. qua de re optime constitutum legitur in sæpe alleg. Ord. Proc. p. 1. T. 1. §. 4. Daß auf die vorseheinende Justitiam cause allerdingß reflectiret werden sollte. Si vero litigantes amicabili compositioni nullum sint daturi locum, judex processui, cujus substantialia, quæ habentur in Stryck, Introd. ad Prax. for. c. 1. §. 14. diligenter obser-

obseruet, pandat viam, & hoc facto veritatem & Justitiam negotii sufficienter examinet, id quod dicit Imperator Constantinus in L. 9. C. de Judic. ubi hæc reperiuntur verba: *Judices oportet in primis rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc utramque partem sæpius interrogare &c.* Quemadmodum porro Leges Romanæ studium minuendi & abbreviandi lites maxime commendant, vid. L. 21. de reb. cred. & L. 2. pr. de aq. & aq. pluv. add. L. 13. C. de Judic. quæ causas criminales biennio conclusit, civiles vero ultra triennii metas protrahendas vetuit: ita hodie adhuc judex brevitati litium quovis modo studere, & omnia ad illam faciendiam cito expedire debet: & hoc nomine antea alleg. Ord. Proc. Hass. Darmstadina sua non est defraudanda laude, utpote quæ ea, quam præscribit litibus peragendis, brevitare, sese maxime commendat. In primis quoque, ut allegatæ L. 13. Constitutio in nostris obtineret Judiciis optandum esset, sed quo minus illa effectum forciatur, sæpissime tam litigantium, quam eorum, qui illis atrocium præstant, malitia & calumnia impedit, inde Judici omnibus hancce compescere modis incumbit, vid. Mornac. ad tit. Cod. ut nemo invit. ag. vel acc. Recess. Imp. de anno 1600. §. und obtrwohl 17. Wefenbec. in paratit. de calumn. n. 1. add. Gail. L. 1. O. 31. n. 4. & O. 70. n. 21. sæpius etiam fieri amat, ut illa quæ accuratori causæ cognitioni & dijudicationi inserviunt, tam quoad factum, quam quoad ipsum jus, ab ipsis litigantibus vel eorum Advocatis per incuriam vel imperitiam negligantur, Judici itaque hoc animadvertenti hi quoque, ut congruam Legibus & negotio pronunciare queat sententiam, supplendi sunt defectus, scilicet per modum explicationis & majoris dilucidationis, & ut eruatur tit. Cod. ut quæ defunt Advoc. part. juncta L. 21. ff. de interrog. in Jur. fac. Cave tamen existimes, judicem posse vel debere ad factum propositum aliquid addere, fingere vel præsupponere taliter factum fuisse, de qua tamen qualitate aut additamento ex actis nihil apparet, Mæv. p. 1. D. 123. in fin. & num. 8. hoc enim faciendo judex maxime peccaret, vid. prolixius hac de re differentem Ziegler. de offic. Jud. concl. 34. per tot. Causa tandem ad submissionem usque tractata partes Judicis sunt, ut utrinque acta diligenter perlecta conferat, attentus ponderet, de iisdemque sententiam ferat.

§. VI.

§. VI.

Hoc igitur modo ad secundum supra factæ divisionis membrum perventum est, ubi Judici ante omnia binæ istæ judicandi normæ, jus nimirum & æquitas, observandæ sunt, non enim exemplis, vid. L. 13. C. de sentent. & interloc. nec aliter quam Legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est, Judicare debet, vid. Pr. Inst. de Offic. Jud. Auth. jubemus C. de Judic. Nov. 82. c. 17. add. c. 3. dist. 4. adeo ut quando jus certum, licet durum sit, sequi illud teneatur L. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manum. Siquidem Judicem lege clementiorem esse non oportet, Nov. 82. c. 10. & Gothofred. ad cit. L. 12. §. 1. Si tamen sententia sive dolo, sive imperitia Judicis contra jus in thesi fuerit lata, ipso jure nulla, L. 2. C. quand. prov. non est nec. L. 1. §. 2. ff. quæ sent. sin. app. refc. Comp. Jur. Lauterb. tit. de Re Judic. & judex insuper puniendus est. L. 17. §. 1. ff. de Judic. & L. ult. ff. de extraord. cognit. Quod si vero circumstantiæ hujus vel illius facti non omnino similes sunt illis, de quibus lex loquitur, vel etiam legibus vel moribus de iisdem plane nihil, vel saltem non expresse constitutum repertiatur, tunc æquitas locum sibi vindicat, L. 8. C. de Judic. L. 4. §. 1. in f. ff. de eo quod cert. loc. L. 85. §. 2. & L. 90. de R. J. secundum quam judex facti meritum ex naturæ rationisquæ suæ persuasione, quantum tamen ejus fieri potest, ad mentem & sententiam Legum definire & decidere debet. Præterea quoque, cum lites juxta L. 1. ff. de Re Jud. pronuntiatione Judicis finem accipere debeant, inprimis curandum est Judici, ut si natura negotii id permiserit, certam tam ratione personæ quam rei proferat sententiam §. 32. J. de action. tot. tit. Cod. de sentent. quæ sine cert. quant. prof. Incerta enim ipso jure nulla, L. ult. C. d. tit. & novæ litis causa & initium est, Lauterb. Coll. Theor. Pract. tit. de Re Jud. §. 22. Quæ autem sententia dicatur certa, vid. in L. 74. §. 1. de V. O. Si igitur judex secundum prædicta judicaverit, justam quidem pronuntiasse dicitur sententiam, nec litigantes de justitiæ defectu conqueri possunt, inde tamen non sequitur, quod etiam juste judicaverit, quippe magna has voces interest differentia: ad hoc enim ut juste judicasse dicatur, insuper requiritur, ut ipse quoque justus sit, juste agat, & ex justitiæ amore & interno virtutis habitu judicet, prout hæc latius persequitur Ziegl. d. tr. Diff. prælim. §. 19. & 20. Famofissimam illam quæstionem,

an iudex secundum acta & probata, an vero secundum conscientiam
 judicare debeat, huc non repetiturus, brevitatis studio ad illos me remit-
 to Doctores, qui ad nauseam usque illam pertractarunt, vid. Covarruv.
 L. 1. var. Ref. 1. Oldendorp. tr. de æquitate & Jure c. 13. Ferd. Vasquius
 4. illustr. controv. 15. Hottoman. quæst. illustr. 20. Cacheran. Dec. 146.
 n. 14. Dominic. Arumæus in pandect. Disp. l. n. 24. Franzk. L. 2. Ref.
 22. Zoef. tit. ff. de Judic. n. 54. seq. & alii plures in allegatis allegati.
 Brevissimis saltem cum Zieglero in alleg. tr. concl. 35. asserendum cen-
 seo, quod iudex, si certissimam & liquidissimam rei aliter & non sic,
 uti ex actis & probatis apparet, gestæ, habeat scientiam, omnino se-
 cundum hancce, posthabitis actis, pronuntiare debeat.

§. VII.

Quoad tertium membrum notandum est, quod Judicis post sa-
 ram sententiam, officium in hoc consistat, ut illam quoque ceteris pa-
 ribus executioni mandet, L. 15. §. 1. ff. de Re Jud. L. 32. C. de transact.
 L. 2. C. de execut. rei Jud. & ad effectum perducatur, L. 13. §. 3. C. de Ju-
 dic. ad hunc enim finem constituta sunt Judicia, ut suum cuique tribua-
 tur, & frustra ferrentur sententiæ, nisi etiam executioni darentur, se-
 cundum paroemiam: **statuiren und nicht exequiren / heisset nur die
 Zeut vexiren.** Notissimum alias est, quod Jure romano, sententiã se-
 mel pronuntiã, nullæ amplius fuerint partes Judicis, vid. L. 55. ff. de
 Re Jud. L. 15. pr. eod. Ex quarum legum fugitiva saltem inspectione
 apparet, quod de pedaneo, & non de illo Judice, qui nostræ tracta-
 tionis & supra definitus est, loquantur, inde has, reliquasque hujus
 generis leges nihil moratus, Judices nostros latas à se sententias in eo-
 dem territorio, regulariter ipsos exequi posse affirmo per cap. 15. X.
 de re Judic. Marant. de Judic. part. 6. act. ult. n. 2. Ne tamen pro lu-
 bitu & arbitrio in exequendo procedant, certum tempus, modum &
 ordinem illis observandum Leges præscriperunt: Quoad Tempus om-
 nino caveat iudex, ne ante, quam sententia in rem judicatam transie-
 rit, i. e. antelapsum decedendii, exequatur, L. 1. & 2. C. de execut. rei Jud.
 eo vero elapso recte executionem decernit. per dict. LL. nam tum sit
 res judicata, quæ paratam habet executionem, Mev. p. 4. D. 371. n. 5.
 adeo ut contra hanc supplicans gravi afficiendus sit pœna, cit. Mev.

p. 1. D. 180. n 5. imo sententia contra rem Judicatam lata est ipso Jure nulla idem p. 7. D. 207. Interim tamen juxta vulgatum illud :

In personali post menses quattuor, in re

Protinus est omnis sententia perficienda,

inter actiones personales & reales distinguendum est, compara L. 2. & 3. §. 1. C. de usur. rei Jud. L. 68. ff. de rei vind. Modum §. 2. & 3. J. de off. Jud. & alleg. L. 68. ordinem vero L. 15. ff. de re Jud. præscripsit. Fufius hæc omnia explicatunt Maranta tr. de Judiciis part. 6. act. ult. Coll. Jur. Arg. tit. de Re Jud. th. 90. & seqq., Vultej. de Judiciis L. 3. c. 13. per tot. & alii. Ante omnia vero judex processum executionis, in ordinationibus legibusque provincialibus (uti hodie plerumque fieri solet) præscriptum observare tenetur. De Hassia nostra vid. Ord. Proc. Hass. Darmstad. de anno 1724. p. 1. Tit. 8. per totum.

§. VIII.

Hiscæ generaliter saltem de Judiciis officio expositis, pauca de munere Advocatorum dicenda veniunt. Imperator Anastasius in L. 4. C. de adv. 2. illud necessarium ac laudabile esse asseruit, inde ab aliis quoque Imperatoribus Advocatorum ordo variis egregiisque decoratus fuit privilegiis, de quibus testantur L. 1. 2. 4. 6. 7. §. ult. C. de adv. 2. & L. 4. 6. 8. & II. §. 1. C. de adv. 1. vid. Benii tract. de privileg. Jctorum, & gratian. Disc. for. Tom. 1. cap. 186. Perfruuntur autem hiscæ gratiosis Imperatorum concessionibus illi tantum Advocati, qui eo quo decet modo, suo funguntur officio, Gratian, d. l. n. 54. & seqq. ad quod præstito Juramento adstringuntur, in quo si peccent. pro delicti gravitate puniuntur, L. 5. & 7. C. de postul. Consistit autem horum officium partim in agendo, partim in omittendo. Inprimis notes, neminem Advocatorum suum cuiquam absque justa causa dene-gare posse patrocinium, quia officium hoc est publicum, ad cujus præstationem possunt compelli, vid. L. 7. vers. si quis. C. de postul. L. 1. §. 4. ff. eod. postquam vero causam aliquam susceperunt, omnes eo in-tendant curas viresque ut eam diligenter & bona fide agant L. 14. §. C. de Judic. secus enim si fecerint, & clientuli negligentia vel dolo ipso-rum lædantur, conveniri possunt actione in factum ad interesse ex §. f. J. de L. aquil. vel etiam positis terminis habilibus actione de dolo,

imo si cognitis suæ partis fundamentis, cum adversario colludent, insuper adhuc extra ordinem puniuntur L. 1. §. 1. de præv. L. 1. C. de adv. 1. Interim tamen in explicanda causa & eruendis veris facti circumstantiis pro utraque parte laborare debere Advocatos recte asserit Struv. S. J. C. Ex. 7. th. 5. Si vero litem vel statim ab initio vel progressu improbam vel penitus desperatam cognoverint, illam vel non suscipiendi, vel susceptam deserendi Justissimam habent causam: Lis autem dubia, sufficiens patrociniū denegandi causa non est, debere tamen Advocatos in re dubia transactionem suadere & omnibus modis illam promotam ire, non tantum rationi convenit, verum etiam expressis, id ipsis injungitur verbis in supra laudata Ord. Proc. Darmstad. p. 2. t. 2. §. 5. ibi: *Als welche auf alle weis mehr zur Güthe als zum Proceß, wie wir ihnen hiermit auff ihre Seele und Gewissen einbinden / rathen sollen* / quod ad causas non dubias non est extendendum conf. dicta §. 5. Quæ omittenda sint Advocatis docet L. 6. C. de postul. scilicet a convitiis & maledicendi temeritate abstineant, add. ord. Cam. p. 1. T. 11. §. Nachdem: nullumque cum cliente contractum vel aliam pactiōnem ineant, quam tamen prohibitionem saltem ad illa pacta, quæ de quora litis fiunt, restringendam esse censent Struv. S. J. C. Ex. 23. th. 3. Carpz. p. 1. C. 1. D. 24. & 34. horum quoque assertioni non tantum L. 53. ff. de pact. L. 1. §. 12. de extraord. cognit. verum etiam ipse §. 3. alleg. L. 6. patrocinarur, & optime convenit ante cit. Ord. Proc. p. 2. t. 1. §. 6. ibi: *Sedoch ihnen / sc. Advocatis, mit ihren Klienten eine Jahrs Bestallung wegen aller Rechtfertigungen zu errichten / oder auch von denenselben et. eine freywillige Verehrung anzunehmen nicht verboten seyn.* Porro fallacias, cautelasque fraudulentas etiam in bona causa adhibere verantur in ord. Cam. p. 1. t. 64. Bouric. tr. de off. Advoc. c. 7. & 8. Bono tamen dolo & cautelis non injustis uti omnino licebit, vid. Franzk, L. 2. Ref. 19. cautelas ejusmodi in praxi observandas exhibet hinc inde Stryck, in introd. ad prax. for.

§. IX.

Ex dictis apparet Judicem & Advocatum non uno tam conveniente quam differre modo, quod ut clarius adhuc pateat, potissimas utriusque & con- & disconvenientias paucis explicare licebit: Quemadmodum

modum igitur ratione originis, vel causæ efficientis remota vid. supr. §. 2. ; Ita etiam ratione constitutionis vel causæ efficientis proxima conveniunt, uterque enim autoritate publica, & ab illo, qui Jure circa Judiciorum constitutionem, eorumque ordinationem gaudet, constituitur, & officio suo præficitur. Insuper etiam ex accuratori collatione eorum, quæ habet Ziegler. tr. de off. Jud. Diss. prælim. §. 6. & Legis 4. C. de Advoc. 2. convenientia utriusque ratione necessitatis & utilitatis intelligitur, licet Advocati officium sit saltem necessitatis hypotheticæ: Idem ratione Juramenti ab utroque intuitu officii, vid. §. 4. & 8. licet sub diversa formula præstandi, eos convenire dicendum est: Imo uti ex §§. præcedentibus constat plures adhuc ratione officii ipsius dantur convenientiæ: sic utriusque officium omnibus patere debet, & si absque Justa causa deneger, uterque ad illud potest cogi, sic ambo transactionem suadere: sic quoque brevitati litium studere, imo pro utraque parte, diverso licet modo laborare debent. Neque negandum est, litiganti Advocatum & patronum suum, æque ac Judicem, suspectum recusare licitum esse, idque propter paritatem rationis, damnum scilicet ex hac suspicione metuendum: Si autem judex, vel Advocatus partibus jam nocuerit, ad restitutionem damni & interesse, consentientibus DD. & LL. conveniri potest. Unam adhuc, eamque pulcherrimam Judicis & Advocati, ratione qualitarum addo convenientiam, quod scilicet ambo Jurisperiti, graves, fideles, diligentes, & in summa, ut verbis L. 4. §. 1. ff. fam. ercisc. urar, boni viri esse debeant, add. L. 137. §. 2. de V. O. & L. 14. §. 1. C. de Judiciis.

§. X.

Disconvenientias vero Judicis & Advocati quod attinet, illarum potissima sunt, quod ille, uti supra jam dictum est, personam Judicii principalem, sine qua Judicium esse nequit, hic vero minus principalem, quæ salva Judicii substantia abesse potest, constituat. In hoc quoque maxima inter utrumque cernitur differentia, quod quidem in propria causa quis Advocatus, minime tamen judex esse possit, nam juxta Aristotelem Lib. 6. polit. cap. 6. plerique mali sunt Judices in rebus propriis, inde ab Imperatoribus hoc generali prohibitum fuit lege, vid. L. un. C. ne quis in sua caus. Jud. & idem jam ante scripserat

Ulpianus in L. 10. ff. de Jurisdic. & Julianus in L. 17. ff. de Judic. æquissimumque id visum est Prætori in L. 1. §. 2. quod legator: & optima sane ratione id ipsum reperitum est im Hess. Darmstättischen Consley Reglement de anno 1724. §. 91. ibi: Alle so wohl Geheimbde als übrige Rätthe/ sollen bey vorkommenden deliberationen über Sachen/ welche sie selbst oder ihre Verwandten per directum vel per indirectum betreffen/ nicht sitzen bleiben/ sondern aufstehen und so lang in ein Neben: Zimmer gehen/ noch weniger aus dergleichen Memorialien oder Acten referiren / darinnen Schriftlich oder Mündlich voriren/ oder zu expediren angeben/ sondern dergleichen sich gänglich enthalten/ quæ autem causa dicatur propria, ex ponit L. 1. §. 11. quand. Appell. quemadmodum porro in variis sui officii partibus conveniebant, vid. §. præced. ita etiam in aliis eos disconvenire clarum sit ex §. 6. & 7. ubi Judicem sententiam ferre, eamque exequi debere, & alia dicta fuere, quæ de Advocatis prædicari non possunt. Et quis maximam illam ignorat differentiam, qua judex ab Advocato distinguitur, quod scilicet huic quæcunque munera à litigantibus sibi oblata accipere licitum, vid. L. 6. C. de postul. §. 3. Ord. Proc. Hass. Darmst. Nov. p. 2. tit. 1. §. ult. ibi: Eine freywillige Berehrung anzunehmen nicht verbotten seyn: Illi vero etiam in bona causa, divino & humano Jure prohibitum sit, vid. Ef. I. v. 23. Exod. XXIII. v. 8. Deur. XVI. v. 19. vid. L. 2. §. 2. ff. de condic. ob turp. caus. L. 3. & 4. ff. ad L. Jul. reper. Expressisque verbis hæc prohibitio continetur in formula Juramenti à Consiliariis Hass. Darmst. adinid præstandi, ibi: Auch von denen Partheben oder jemand anders/ der vor hiesiger Regierung hangenden / oder hinkünfftig entstehenden Sachen halber keine Gabe / Geschenke oder einigen Nutzen durch euch selbstn/ oder andere/ wie es Menschen Sinn erdencken möchten/ nehmen oder nehmen lassen/ &c. &c. Nec illud quod ratione subjecti obviam est discrimen omitto, non enim omnis, qui potest esse judex, potest etiam esse Advocatus & V. V. sic fæminis quidem interdum Judicis officio fungi licet per cap. 4. X. de arbit. nunquam vero Advocati, L. 1. §. 1. ff. de postul. L. 2. de R. j. idem de cæco asserendum est, L. 6. ff. de Judic. & alleg. L. 1. §. 5. Plura exempla comparaturo tit. de postulando cum tit. de Judiciis, apparebunt. Præterea non leve cernitur discrimen inter Judicem & Advocatum tam ratione litigantium, siquidem officium

officium Judicis in extraneos & ipsius foro non subjectos, tanquam incompetentis, plane cessat, secus tamen in Advocatis, qui etiam hinc præstant patrocinium: Quam etiam ratione causarum, licet enim non quilibet iudex ratione harum competens sit, minime tamen Advocatus sine causa sint civiles sive criminales, sive ecclesiasticae sive seculares, illas agere prohibetur. Accedit tandem & hoc, quod Judicis officium post factam à sententia lata provocationem penitus quiescat, Advocati vero etiam in secunda instantia præstari possit.

§. XI.

Tot & tantis igitur Judicem inter & Advocatum existentibus differentis, hæc fundamenti loco ponenda erit regula, *Nemo simul potest esse Iudex et Advocatus*, quam regulam ipsum quoque jus naturale, sanctitatem Judiciorum imperans, agnoscit: Tale enim patrocinium Judicia, eorumque sanctitatem admodum deformat, & Judicem non suspectum tantum, sed plane corruptum & in causa quodammodo propria Judicaturum arguit & prostituit: Et quæ quæso colliganti poterit superesse Juris sui obrinendi fiducia, quando illum, quem Justitiæ administratorem & diribitorem habere debebat, adversarium suum deprehendit: fieri enim vix potest, ut iudex, qui ipse in partes colligatoris transit, argumentis probationibusque illum instruit, incorrupte & pro religione sua, secundum id, quod actum & probatum est, pronunciet. Ziegl. de Offic. Judic. C. 19. §. 3. Sacrum si evolvat Codicem, traditam modo regulam divinis præceptis conformem omnino reperies: Satis enim perspicue virtutum ille Doctor Syracides, eam docuit cap. III. v. 24. 25. & 26. dicendo, quod nemo debeat affectare id, quod sui non est officii, quo cum consentit Paulus Rom. XII. v. 7. a munere autem Judicis alienum prorsus est officium Advocati. Et Deut. I. v. 16. & 17. & Cap. XVI. v. 19. Levit. XIX. v. 15. Joh. VII. v. 24. & aliis innumeris fere sacræ scripturæ locis Judices absque respectu personarum & recte Judicare jubentur, an vero sine jussuum horum violatione Judicis & Advocati officio simul quis fugi possit, cujusvis sapientis dijudicationi relictum esto. Insuper regulæ hujus firmitas non tantum Jure Civili & canonico stabilitur, vid. L. 6. pr. C. de postul. L. 14. C. de Assessor. L. 17. ff. de Jurisdic. arg. L. 121. de R. J. cap. postremo 36. X. de appellat. can. statutum 38. caus. 2. quas.

quæst. 6. Sed etiam in ipsis rerum argumentis, & praxi summorum Imperii tribunalium, vid. Cammer-Gerichts Ordn. p. 1. t. 6. inque aliis statuum provincialium Judiciis obtinet, vid. Serenissimi Hassiæ Landgravii Georgii II. Cansley-Ordn. de anno 1628. §. würde aber: in fine ibi: so soll ihrer/ sc. derer Rätthen/ keiner in Sachen welche vermuthlich in unserer Cansley zu Recht erwachsen mögen / advociren oder dienen/ simile statutum legas in sæpe cit. ord. Proc. Darmst. de anno 1724. p. 2. t. 10. §. 1. 1. ibi: noch auch in der Sach advocando procurando oder consulendo vorhin bedienet gewesen / ad referendum zugestellet werden &c.

§. XII.

Suas prædicta regula habet ampliaciones, ita ut nequidem Judici liceat Advocatis, multo minus litigantibus ipsis consilia suppeditare: Officii enim ratione & Jurisjurandi quod præstitit religione inter utramque personam medius esse, nec quæ sentiat ulla interlocutione divulgare; sed postrema demum sententia, quid sibi liqueat, prodere debet, præcipiente L. 22. vers. sed inter C. ad L. Corn. de fals. contra quam judex consilia dando partibus, utique peccaret, dum posthabita illa medietate, alteri parti mentem suam, & hoc ipso quoque affectionem erga illam proderet, unde non potest non colliganti justissima, pessima quævis suspicandi, causa enasci, absque omni autem suspicione lites procedere debere, sancitum est in L. 16. C. de Judic. Exinde quoque, quod Advocatus causam clientis sui prodendo, vel saltem parti adversæ consulendo, extraordinariam mereatur pœnam, colligi potest, quod judex alteri parti consulens, puniendus sit, par enim utrobique adest ratio, quia sicut ille uni litigantium addictus, operam suam utrique præstat; Ita hic neutri addictus, uni inservit, & non minus quam iste causam prodit, Franzk, L. 1. Ref. 13. n. 17. quoad determinationem pœnæ tamen distinctio omnino adhibenda est, num judex consilium, an vero insuper operam, scripta scilicet conficiendo, præstiterit: posteriori casu durius ac priori cum ipso agendum est, prout hæc latius persequitur Franzk. alleg. Loc. 1. n. 23.

§. XIII.

Facillime ex dictis concludas, multo minus Judicem Procuratoris fungi posse officio, præterquam enim quod rationes §. præced. adducæ

ductæ huc quoque quadrent, contra regulam : cui denegatur minus illi etiam majus denegatum esse censetur, peccaretur, minus enim est consilium dare, quam Procuratorem esse : accedit argumentum tit. Cod. ne lic. potent. &c. quia adversarius præsentia Judicis Procuratoris facillime deterreretur. Imo ex comparatione L. 1. §. 11. ff. de extraordin. cognit. & L. 6. pr. C. de postul. Procuracionem, Judicalem scilicet, Judici expresse interdictam observabis. Quæ hoc & præced. §o. dicta sunt, tam ad actus contentiosæ, quam voluntariæ Jurisdictionis pertinent, & absque ulla distinctione inter rotum collegium, & Judicem singularem, inter primam, secundam & ulteriorem instantiam, vel inter actorem & reum, simpliciter procedunt, & licet Legi 125. de R. J. rei partes favorabiles asserenti, sua non sit deneganda auctoritas valorque, utpote qui in aliis Juris capitibus multoties sese exserit, quoad hanc tamen materiam Cælestini sententia in c. 2. X. de mut. petit. quod scilicet reus & actor eodem Jure censi debeant, potior sibi vindicat locum.

§. XIV.

Amplius regula hæc procedit, ut nequidem partibus consentientibus iudex utrumque simul subire possit munus, quia hoc contra expressas Legum prohibitiones fieret, quod ipso Jure nullum est, L. 5. C. de LL. & uti §. 11. dictum, naturalis quædam turpitudine subesser, tassa autem facta, ceu moraliter impossibilia, nec facere nos posse credendum est, L. 15. ff. de Condit. Inst. ibique Gothofred. Lit. 2. Accedit ratio L. ult. C. de Assessor. quod in Jurisdictione contentiosa non liceat sustinere vices plurium, add. L. 9. ff. de pact. & Secundum Decium Conf. 8. n. 3. in fin. Vers. & hoc clarum &c. incompatible est, ut quis sibi ipsi consulere possit. Et licet antiquissima æque ac vulgatissima sit Jctorum paroemia, quod favori pro se introducto quilibet renunciandi licentiam habeat, vid. L. pen. C. de pact. observandum tamen traditam ante regulam non in partium, sed ipsius, reipublicæ favorem, & ad hoc constitutam esse, ut Judicia, tanquam justitiæ officina, eo sanctiora & incorrupta habeantur, jus publicum autem, (quod scilicet publice utile est, vid. Gothofred. ad L. 38. ff. de pact.) privatorum pactis & conventionibus immutari nequit, alleg. L. 38. L. 27. de R. J. Ne dicam, quod si firmitatem hujus regulæ in partium arbitrio positam esse velimus,

C

mus,

mus, leges non rebus sed verbis scriptæ essent, cum quod una via prohibetur, alia iterum permitatur, contra cap. 39. de Reg. Jur. in 6to, imo substantialia Judicii partium voluntati essent relicta, & pro lubitu earum mutabilia.

§ XV.

Neque multiplex causarum in Judiciis occurrentium differentia generalitati prædicti axiomatis obstat, sed absque ulla distinctione, si-ve causa sit civilis si-ve criminalis, si-ve alius generis, procedit, adeo ut licet alias in favorem piæ causæ multa singularia constituta legantur, quoad hunc tamen passum juxta regulam decidendum sit. Deficiente enim legis auctoritate, sola causa pietas diversitatem Juris non inducit, cum in favorem hujus nihil prætermulco minus contra expressi Juris rationem statuere debeamus 1. feud. 13. vers. Sed diversum &c. præsertim in damnum & præjudicium aliorum, ita enim illi favendum est, ne aliis fiat injustitia, Besold. p. 3. Conf. 94. n. 7. & ne sub specie pietatis committatur impietas. Interroganti an non judex in causis criminalibus, propter L. 19. ff. de pœnis, ad defendendum reum, Advocati partes suscipere possit? Respondeo distinguendo inter officium Advocati, & officium Judicis nobile, vi cujus omnino in rei innocentiam inquirere tenetur.

§. XVI.

Aliam ampliationem suggerit L. ult. C. de Assessor. ubi Assessores sub variarum pœnarum comminatione officio Advocatorum interdiciuntur. Licet autem illorum Assessorum, quos Romana habebant fora, cum illis qui hodie sunt, ratio non sit per omnia eadem. Vul- teij, de Judic. l. 1. c. 7. n. 1. 2. 3. & seqq. Sed & hodierni Assessores pro varietate Judiciorum variant, conf. Winters tract. de Assessore. Ratio tamen prohibendi ne scilicet Assessor, cum ad utrumque festinat officium, neutrum bene peragat, etiam ad nostra Judicia accom- modata est, juxta vulgatum illud:

Pluribus intentus, minor est ad singula, sensus.

add. can. 1. d. st. 89. Aliam adhuc non exigui momenti rationem in sin- cit. l. ult. addidit Justinianus, ne quis affectionis vel Advocationis suæ memòr, incorrupti Judicis non possit nomen perferre, & secundum

Winte

Winterum alleg. tract. c. 1. n. 90. de Judicis & Assessoris officio, tanquam connexis, idem esse debet Judicium. In specie Assessores Camera Imperialis, in aliis Judiciis litigantibus advocando patrocinari, prohibentur. vid. supr. §. 11.

§. XVII.

Quid de Judicibus delegatis, vel si mavis Commissariis, (synonyma enim sunt) statuendum sit, ex dictis ad alleg. §. 11. dijudicari potest: Maximam quidem Judicum ordinariorum & extraordinariorum esse diversitatem, patet ex illis, quæ tradit Maranta de ordin. Judicior. part. 4. Dist. 5. n. 23. & seqq. quoad hanc tamen questionem, solidam non agnosco differentiam, omnia enim argumenta §. 11. & 12. respectu Judicis ordinarii proposita, etiam regulam traditam, in extraordinario procedere probatum dant. Imo cap. 36. X. de appellat. id ipsum expressis verbis statuit.

§. XVIII.

Ex Comp. Jur. Lauterb. pag. 90. circa finem, ibidemque allegatis LL. notum est, quod coram arbitris sive Judicibus compromissariis ordo Judicarius observandus sit, & Advocati æque ac procuratores admittantur, quo minus igitur sæpe citata regula etiam ad hos extendi possit, nil impedit, valida enim à Judice ad arbitrum est conclusio, Nic. Everhard. Loc. 40. ideo quia compromissum ad similitudinem Judiciorum redigitur L. 1. ff. de recept. qui arbitr. recep. qualis similitudo apparet in L. 9. §. 3. eod. ubi arbiter, cujus rursus turpitudine aut sordes manifestæ sunt, potest recusari, aliam tradit L. pen. C. de pact. ubi ex eadem causa, qua judex, litem suam facere dicitur: Similium autem idem est Judicium, cap. inter cæteras X. de Rescript. cap. 19. de sentent. & re Judic. & licet in aliis variæ sint inter Judicem & arbitrum differentia, sufficit tamen similitudinem inter eos intercedere in eo, in quo fit comparatio, quod late exemplis illustrat Biccus ad L. 3. §. 5. ff. de acquir. vel amit. poss. part. post membr. 4. quæst. 13. Præter hanc & alias §§is præcedentibus allegatas rationes, & illa accedit, quod partes fiducia quadam erga arbitrum, ad compromittendum inducantur, quam vero nimia in adversarium, patrocinando prodita affectio penitus excludit, cum amicis inimici etiam meus inimicus præsumatur, Menoch L. 5. præf. 43. n. 12.

ab inimico autem omne malum est expectandum, c. 7. X. de accusat. L. 1 §. 24. & 26. ff. de quæst. & inimicitia laudum arbitri annullat, L. 32. §. 14. ff. de recept. qui arbitr.

§. XIX.

Porro Regula hæc ampliatur, ut nequidem Secretarius vel Actuaris in eodem Judicio simul Advocati officio fungi queat, cujus asserti veritatem, consideratis illis, quæ ad officium Secretarii pertinent, facile intelligas: Delineatum illud à Pontifice in cap. 11. X. de probat. latius explicuit Schilter. in Dissert. de Secretariis: ubi cap. 4. inter alia, fidele silentium in illis requirit, & recte quidem, nam omnium Secretorum Judicialium notitiam adipiscuntur, quæ tamen Advocatis denegata est, & ipsi Secretarii illis revelare prohibentur, vid. Ord. Proc. Hass. Darmst. de anno 1724. part. 2. tit. 5. §. 9. in fin. ibi: dieselbe/ Secretarii scilicet, alles Geheim und Verschwiegen zu halten schuldig seyn: add. Cammer-Gerichts Ordn. p. 1. r. 28. §. 3. & 10. aliorum enim Secreta detegere, grave crimen, & qui hoc facit puniendus est, Menoch. de arbitr. Jud. quæst. Cas. § 37.

§. XX.

Alia insuper quæstio hoc loco tractanda incidit: an scilicet Notariis in uno eodemque negotio Advocationis munus subire liceat: ad quam itidem juxta regulam negative respondeo: Quantumvis enim ralem, qualem judex, quem supra defini, non habeant potestatem, Jurisdictionemque, atramen prope ad Judicis naturam accedunt, Menoch. L. 2. præf. 78. n. 1. & Judices vocantur chartularii, gloss. in L. 1. ff. de Judic. extraordinarii & irregulares, Carpzov. in Proceff. Tit. 2. art. 3. n. 65. imo etiam ordinarii Judices hodie dicuntur, vid. Stephani de Jurisdic. L. 2. p. 2. c. 5. pr. & qualis qualis ipsis tribuitur Jurisdic. in Rec. Imp. Colon. de anno 1512. Carpz. di& loc. tit. 13. art. 5. n. 76. vi cujus etiam actus non exigui certe momenti expedire possunt, v. g. in jus vocare vid. Schilter. Ex 7. §. 4. in f. novum opus nunciare, idem Ex. 42. §. 19. &c. Imo etiam testes examinare: quales appellationes & expeditiones ab Advocatis eorumque officio profusus sunt alienæ, & in specie

specie examen testium, utpote quorum dicta Advocatus ante communicationem rotuli, propter metum subordinationis ignorare debet. Et si cogites, coram Notario appellationem interponi posse, Stryck. introd. ad Prax. For. c. 22. §. 10. Simulque Advocatum oportere ratione muneris sui appellare, vid. Mev. p. 1. D. 91. p. 5. facile incompatibilitatem horum officiorum deprehendes, quia coram semet ipso Appellationem interponeret, id quod absurdissimum esse vix quisquam negaverit. Majorem adhuc in hanc quæstionem, infert lucem Mev. p. 8. D. 212. ubi à Judice ad Notarium argumentatur, hunc æque ac illum propter conjunctionem & affectionem suspectum asserens, quia non potest non Notarius erga causam, cui patrocinatur, maximam fovere affectionem, cum quodammodo ipsius propria sit, propter L. 1. §. II. quand. Appell. Affectio autem magna impedit veritatem, c. accusatores 12. caus. 3. quæst. 5. ideo fidem minuit, L. f. C. de fid. instrum. atque sic Notarius, qui simul alterius partis Advocatus est, ab altera parte recusari potest, prout hoc praxis Judiciorum observat, testante Mevio cit. Dec. n. 6. Imo in ord. Cam. p. 1. T. 39. §. als auch/ expresse procuratoris & aliis hujus generis officiis Norarii abstinere jubentur, add. von Lindenfels Notariats-Spiegel part. 1. p. m. 7. n. 18. & hunc in modum respondit Facult. Witteberg. apud Bajer, ad ff. tit. de postul. & supremus appellat. Senatus Dresdensis ap. Rivin. ad Tit. 3. Ord. Proci. Saxon. Enunc. 6. & 8.

§. XXI,

Hicæ ampliacionibus hanc quoque adjicio, quod Advocatus nequidem relicta sua Advocacione, in illa causa, quam patrocinando defendit, judicare, sed à partibus propter suspicionem, ex patrocinio antea huic causa præstito, & affectione erga illam, oriundam, tanquam suspectus recusari possit, prout hoc satis clare constitutum legimus in L. ult. C. de Assessor. in fin. & vix ulla sufficiens erit ratio, fortissimam illam, quæ hoc casu contra Judicem militat, præsumtionem excludendi, imo ne ille quidem qui saltem in aliqua causa fuit consultus, ejusque Secretra non ignorat, ad judicandi officium admittitur. Mart. Digest. tit. Advocatus c. 11. Capyc. Dec. 146. n. 3. In hoc tamen dissentiunt Doctores, an ab illa saltem parte, contra quam ante hæc fuerat,

tuerat Advocatus, an vero etiam à proprio suo cui olim adstitit, cliente recusari possit, prius omnes quidem admittunt, sed posterius negat Steph. Gratian. Disc. for. Tom. 1. c. 4. n. 6. Affirmant tamen Garf. Mastril, Dec. 151. n. 41. Camill. Borellus Decis. part. 1. Tit. 65. n. 125, quorum sententia tanquam veritati & rationi magis congrua placet.

§. XXII.

Quæ præcedenti §o dicta sunt, non tantum de causa prorsus eadem, sed etiam de connexa intelligas velim. Sic qui Advocatus fuit in causa principali, neque de accessoris judicare potest, nam minus principale sive accessorium naturam sui principalis sequi congruit cap. 42. de R. J. in 6to & sicut dispositio quæ concedit aliquid principale, concedere etiam censetur id, quod accessorie venit ad illud principale, ita etiam quæ negat aut removet principale, etiam accessorium, aut quod inde dependet, remove intelligitur, Ziegler de offic. Jud. C. 19. §. 11. Neque supervenientia istius muneris judicandi, seu alterius dignitatis efficit, ut suspicio & affectio cesset, Steph. Gratian. d. cap. 4. n. 15, nam affectio non semel oculos caliginat Menoch. de A. J. Q. Lib. 1. quæst. 73. n. 6. Eodem quoque modo in causa simili sese res habet, arg. c. 18. X. de Judic. nec hoc in casu ratio L. ult. C. de Assessor. deficit, siquidem similitum idem esse debet judicium; Hinc in tali causa connexa vel simili, Jurisdictio delegari debet, L. 17. ff. de Jurisdic. & hæc procedunt, etiamsi plura sint collegii alicujus membra. Alciati tamen opinionem, Lib. 22. Pareg. existimantis, non expedire, illum, qui fuit Advocatus, creari Judicem, propterea, quod non sit Judicaturus sine pecunia, tanquam fuerus lingua venali opes acquirere, à vero aliena, observantiæ contraria & rejicienda est.

§. XXIII.

Multo minus judex primæ instantiæ, poterit ejusdem causæ judex esse in secunda instantia, nam quamvis in Appellatione non deducta deducere, & nondum probata probare liceat, & sic novæ probationes admittantur, ex quibus judex ille suam forsitan mutaturus esset opinionem, lex tamen illum priori sententiæ favere præsumit, eo quod non sit verisimile, quod esset sibi contrarius. Arret. Conf. 29. n. 25. Capyc.

Capyc. Dec. 146. & secundum Glossam in cap. querelam. 24. de elect. lit. a. & in can. 2. §. item si contra : in verb. tutor. caus. 3. quest. 7. hoc non solum est de honestate , sed etiam de necessitate : Interim consensu partium etiam in secunda instantia iudicem priorem iudicare posse patet ex cap. accepta 35. X. de appellat. Et hoc ratione revisionis expresse constitutum est in alleg. ord. Proc. Darmst. p. 2. t. 11. ult. in fin. ibi : Es wäre dann / daß die Parthien selbstn oder doch der Impetrant zu dem vorigen Richter das Vertrauen hätte / und von demselben die revision vornehmen lassen wolte / cum hactamen limitatione, daß der vorige Referens und Correferens sich alles votirens enthalten / die übrige membra collegii aber das Revisions- Urtheil allein abfassen sollen. Sunt etiam qui tacitum consensum ad hoc sufficere statuunt, vid. Surdus, Lib. 4. Conf. 165. n. 10.

§. XXIV.

Quemadmodum vero vix ulla est sine exceptione regula, ita & hæc suas patitur exceptiones, inde præmissis ampliationibus subjungendæ veniunt limitationes, quas inter primum occupat locum illa, quam tradit Steph. Gratian. Disc. for. c. 4. n. 7. quod scilicet is, qui in prima instantia fuit iudex, ejusdem causæ in secunda, tertia vel ulteriori instantia possit esse Advocatus, imo & Procurator, vid. Mart. Digest. nov. tit. Advocatus, cap. 20. modo sententiam, quam ante probaverat, non impugnet, sed defendat, minus enim honesta res est, sententiam propriam impugnare & evertere velle, cum suam hoc modo iudex allegaret turpitudinem, hanc autem allegans non est audiendus, L. 5. C. de condict. ob rurs. caus. Menoch. Conf. 89. n. 32. & in specie Judici, qui dicit se protulisse sententiam pecunia, vel etiam (propter paritatem rationis) alio modo corruptum, non creditur, Angelus Conf. 309. n. 5. vers. hoc etiam probatur, nec contra proprium factum quisquam venire debet, L. 25. ff. de adopt. Vultej Vol. 1. Conf. Marp. 17. n. 96. & præterea reipublicæ admodum foret perniciosum, maxime si id fiat post rem judicatam Ziegler Decif. 17. in med. Illi autem pro quo sententiam tulit, sive actor sive reus sit, in superiori instantia patrocinium utique præstare poterit iudex, nam interest ipsius, ut sententia à se lata confirmetur, non

vero

vero ut rescindatur aut corrigatur, & ad existimationem ipsius pertinet, ut rite & recte judicasse dicatur, non per sordes aut gratiam, jurisve vel facti ignorantiam, Anth. Faber in Cod. L. 2. tit. 5. Def. 1. Et tantum abest, ut hæc assertio praxi hodiernorum Judiciorum contrarietur, ut potius in illis recepta obtineat, id quod quodammodo apparet aus denen Appellations Berichten / licet enim in his judex Advocati officium subire proprie dici non possit, in illis tamen justitiam sententiæ suæ demonstrare allaborat, causamque victoris coram superiori Judice deducit, add. sæpissime laudata ord. Proc. Darmst. p. 3. T. 2. §. 8. ibi: so dann in dem Bericht jedesmahl die ratione decidendi mit beyzufügen/ und welchergestalt die Appellation sowohl ratione devolutionis & formalium, als materialium beschaffen/ zugleich anzuführen/ etc. Multo magis igitur sententiam suam defendere poterit, postquam illa jam transiit in rem judicatam, quia tum pro veritate accipitur, L. 207. de R. J. Veritatem autem qui non defendit, prout defendere convenit, proditor est veritatis, c. nolite timere. 86. caus. 11. quæst. 3. & judex illam juvare, & quantum in ipso est in lucem proferre debet. Aliquando tamen etiam contra sententiam suam patrocinari posse Judicem asserit Stryck. in not. ad C. J. L. pag. 57. voc. arbitri. Quando scilicet durante Appellatione nova & meliora instrumenta reperirentur,

§. XXV.

Cum vero non semper unus sit, qui judicet, sed sæpissime totum aliquod collegium, communicato consilio sententiam ferat, prout praxis hodiernorum Judiciorum in quam plurimis observat locis inde quod §. præced. Judici, quando solus judicavit, tributum est, & toti collegio concedendum, nec Advocacionis præstationem pro defendenda sua sententia ex prædictis rationibus denegandam esse existimo: multo magis enim totius Collegii interest, ne sententia ipsius rescindatur, quoniam oculi plus vident quam oculus, & unus facilius errare potest, quam plures.

§. XXVI.

Neque dicta ad solam prolatae sententiæ, aliorumque contentio-
sæ Jurisdictionis actuum defensionem restringenda sunt, sed in voluntaria
ria

riæ quoque Jurisdictionis actibus obtinent : Quid enim obstat , quo minus iudex tutori & curatori à se constituto , cui ratione constitutionis controversia moveretur , advocando patrocinetur , constitutamque a se tutelam vel curatelam defendat : Idem circa adoptionem , emancipationem coram ipso factam , vel decretum super alienatione prædiorum quæ minoris sunt , ab ipso interpositum &c. licite facere poterit . Sicut enim in præcedentibus §§is , ita etiam hic honor & existimatio ipsius versatur , & interest , ut & hi actus legitime celebrati dicantur & subsistant .

§. XXVII.

Inferiori quoque Judici in illis causis , quæ ad ipsum non pertinent , sed primam instantiam coram superiore Judice nanciscuntur , v. g. in causis nobilium , aliorumque honoratiorum &c. vid. Ord. Proc. Darmst. p. 1. T. 1. §. 1. ubi tales personæ dicuntur exemptæ : Item in causis miserabilium personarum , vid. alleg. Ord. Proc. dict. loc. & p. 3. T. 1. §. 2. ibi : Hierdurch aber wollen wir denen Wittwen und Waisen und andern armseeligen Personen ihr forum privilegiatum keineswegs benommen / sondern denenselben / sie mögen se mand Gerichtlich belangen / oder von andern belangt werden / so gleich an unser Ober-Appellations- Gericht zu provociren / verstatet haben . add. Comp. Jur. Laurerb. pag. 104. officium Advocationis licitum esse nullus dubito : Licet enim singulis , singula sint committenda officia , cap. 32. de præbend. & dignit. in 6to. & nemo debeat attingere ea quæ sui non sunt officii , vel alienis se immiscere , Brunnem , ad L. 13. Cod. de suscept. præp. & arcar. n. 2. add. c. 19. X. de homicid. insuper quoque unus regulariter duo officia gerere & obtinere non possit , L. 9. ff. de pact. L. 27. C. de Procur. ; attamen hæc procedere respectu ejusdem actus , non vero diversorum , & quando duo officia principalia habentur , non vero quando unum est principale alterum accessorium opinatur Anchar. Conf. 423. n. 3. & Card. Tusch. pract. concl. tom. 56. Lit. O. concl. 97. omnino autem hoc in casu officium Advocati tanquam minus principale considerandum erit : Potius autem hæc intelligenda mihi videntur de eo casu , quando quis duobus officiis peragendis non sufficit , vel quando duo officia sibi invicem contrariantur , se-

D

cus

cus igitur se res haber, si hæ rationes cessant, ad infr. §. 34. Sic sæpius fieri amat, Statuum Consiliarios & præfectos in Camera Imperiali litigantibus Advocando inservire: Quo minus autem V. V. superior judex causæ in prima instantia coram inferiori tractandæ patrocinari queat, maxima diversitatis impedit ratio, quia scilicet ad ipsum provocari, & hoc modo ille, qui fuit Advocatus primæ instantiæ, ejusdem causæ judex in secunda instantia, contra ea, quæ §. 21. dicta sunt, fieri posset.

§. XXVIII.

Dignum præterea, ut hic annotetur, reputavi, quod judex quando a sententia ab Impartialibus, super causa ad se transmissa, lata, provocatum est, tamproquam contra hanc patrocinium præstare possit; quo in casu quidem prævaricationis crimen quodammodo incurere videtur, quoniam causa ante transmissionem jam fuit coram ipso tractata, ipseque utriusque partis fundamenta cognovit, nunc vero cognitis illis in alterutram transit, cum tamen ipsius nullo modo intersit, sententiam ab Impartialibus latam subsistere vel infirmari: Verum minime prævaricator dici poterit, utpote qui neutri litigantium hæctenus fuit addictus, cum ne ille quidem prævaricetur, qui appellanti, contra propriam sententiam advocando inservit, prout latius deducit Ziegler Decis. 17. inde tantum abest, ut prævaricator dici possit, ut potius ille ad hoc obligatus esse videatur; licet enim ipsius Judicis acta transmittentis non intersit, illam Impartialium sententiam valere vel infirmari; at tamen ut hoc fiat, publicum interesse suadet, Justitia enim ubique observari debet, cum itaque Judici transmittenti facillime de illa constare possit, utique prædicta licentia ipsi erit tribuenda.

§. XXIX.

Pertinet huc quæstio; an judex secularis in causis consistorialibus sive ecclesiasticis patrocinium præstare queat? quam qui affirmant, verum omnino sentire existimo: Quod enim Judici, ubi nulla prohibitionis ratio est, Advocacionis officium concedatur, ex dictis apparet, & ex dicendis fiet adhuc clarius: Nec obstat quod judex secularis ratione

ratione harum causarum regulariter plane incompetens sit , vid. Carpz. prud. Consist. L. 3. T. 2. D. 17. n. 1. & Franc. Vivius. Lib. 1. Dec. 30. n. 7. quia, patrocinio hujusmodi causæ suscepto, ratione hujus qualitatem Judicis exiit, qualitatemq; Advocati assumit, utpote qui ratione omnium causarum, vid. supr. §. 10. in fine (ut ita loqui liceat) est competens. Vice versa etiam judex Consistorialis in causa seculari idem præstare poterit, modo non sit clericus, vid. tot. tit. X. de postul. nisi certis in casibus, alleg. tit. expressis. Eodem sese res habet modo in Judice criminali, qui Advocationem in causis civilibus licite exercet, id quod in Judicio criminali Hassiaco Gießensi observamus, cujus judex simul in numero Advocatorum Regiminis habetur.

§. XXX.

Advocationis itaque præstatio, Judici in alienis causis licita, multo minus quoad causas proprias ipsi est deneganda : & hoc antiquis jam obrinuisse temporibus colligimus arg. pr. Inst. de his per quos ag. ubi, quod olim, exceptis paucis quibusdam casibus, populi scilicet, libertatis & tutelæ, alieno nomine agi non potuerit, sed regulariter, quemlibet ipsum suam causam in Judicio agere oportuerit, Vulrej. de Judic. L. 1. c. 7. n. 48. & quamvis in alleg. pr. de Procuratore, & non de Advocarò sermo sit, attamen valide argumentari licet, quod ille qui in re propria Procurator esse poterat, imo debebat, etiam in eadem Advocatus esse potuerit, quia Procuratores magis instant causæ, quam Advocati, vid. Gothofred. ad L. 1. C. ne lic. potent. patroc. lit. h. Ex post quidem & hodie adhuc cuilibet per alios agere concessum est, neque tamen ullibi facultas rem propriam agendi adimur, quoniam in re propria cuique suæ utilitati inservire liberum est, arg. L. 3. §. 5. ff. si servit. vind. & qui de proprio sibi consulere potest, non debet affectare alienum subsidium, Barbof. in Loc. Commun. Lib. 14. c. 126. n. 9. Hinc & Procuratoris officio Judicem in propria causa fungi posse certum est, ab hoc tamen honestius ipsum in eodem Judicio, in quo alias judex est, abstinere putaverim, arg. alleg. tit. Cod. ne, lic. potent. patr. quia scilicet adversarius, præsentia ipsius facile dererri posset, cum potentioribus pares esse non possimus. quæ ratio tamen respectu

D 2

Advo.

Advocationis in propria causa cessat, neque tum locum habebit, quando iudex cum æquali sibi, vel potentiore litigat.

§. XXXI.

Limitationes hæc hactenus propositæ non tantum ad Judicem ordinarium pertinent, sed ad delegatos quoque & amplius ad Judices compromissarios sive arbitros, suo tamen modo extendendæ sunt, idque propter identitatem rationis, omnino enim etiam interest, ut ea quæ ab ipsis gesta sunt, rata maneant. Respectu arbitrorum quidem an hoc procedat, exinde dubitatur, quod horum sententia jam per se satis firma sit, & partes propter compromissum illi stare teneantur, nec ullus appellationi relictus sit locus, L. 1. C. de recept. arbitr. tum quia partes suo compromisso ei renunciassentur, tum quia nulla inter arbitrum, qui privatus est, & Judicem subordinatio inferioris ac superioris deprehenditur, cum tamen appellatio gradatim ab inferiore ad superiorem fieri debeat, arbiter vero non habet Jurisdictionem, nec facit gradum ad superiorem: Varii quidem textus obstare videntur, sed ad illos respondit Berger in Resol. ad tit. de Recept. Licet igitur appellatio prohibita sit, attamen alia contra tales sententias competere posse remedia docemur L. 32. §. 4. L. 21. §. 7. & 8. ff. de recept. qui arbitr. recep. Inde arbiter contra hæc parti victrici pro laudo suo, utriusque patrocinium præstare poterit.

§. XXXII.

In L. ult. C. de Assessor. expressis verbis prohibitum est, ne Assessores audeant advocacione & Assessura (quæ appellatio habetur in L. ult. ff. de proxenet.) uno eodemque tempore uti, cujus prohibitionis jam supra §. 16. mentio injecta est; Cum hac tamen limitatione, si Assessores utroque officio peragendo non sufficiant, accipiendam esse dictam L. monet Ziegler tr. de off. Jud. Concl. 19. §. 5. illam prohibitionem, si utrumque æque bene expediri possint, cessare existimans, modo tamen non in eodem auditorio, multo minus in eodem negotio, utroque officio fungantur, vid. tamen Brunnem. ad L. 5. ff. de

de offic. Assess, eandemque fuisse Imperatoris mentem, quodammodo ex ipsa alleg. L. ult. colligi potest. Quamobrem Assessorem Judicii civilis in Judicio criminali & V. V. Assessorem Judicii criminalis in Judicio civili Advocationis munere fungi posse, certum est. Præterea quoque Assesses, qui facultatem judicandi concessam habent, in casu factæ ab eorum sententia provocationis, victori licite patrocinari, aliorumque insuper actuum coram ipsis celebratorum firmitatem, secundum ea, quæ hîs præced. de Judice dicta sunt, advocando defendere possunt.

§. XXXIII.

Quin Notariis in illis causis, in quibus officio Notariatus non funguntur, Advocationis imo & Procurationis præstatio permissa sit, dubitare nos non sinit, supra alleg. Ord. Cam. p. 1. T. 39. §. 218. auch &c. &c. ubi prohibitio, ne utrumque subeant munus, nominatim ad easdem causas restringitur. Maxime vero tum, quando instrumenta a semetipsis confecta falsitatis vel alius defectus inveniuntur, pro veritate integritateque eorum defendenda, Advocati partes sustinere licebit, idque propter maximum, quod hoc in casu versatur, præjudicium, nam falsitatis vel illegalitatis convicti, variis afficiuntur pœnis, 2. feud. 52. §. 1. in fin. 2. feud. 55. pr. in fin. Cacheran. Decis. 67. pag. 168. & DD. passim. & defectus requisitorum instrumentum reddit nullum, quod tamen ut vires habeat, utique ipsorum interest; Inde in quam plurimis hæc ita obtinere observamus judiciis, præsertim in illis, ubi certi Advocati non reperiuntur, imo & in alio auditorio vel judicio Notarios litigantibus patrocinari posse existimo: Vulgo quidem perhibent, quod unius loci Notarius non possit conficere instrumenta alterius loci, nisi ibi Notarius non habeatur, vel sit Notarius Cæsareus vel Papalis, Petez. ad Cod. de Nummar. n. 15. & 16. Verum a Notariatu ad Advocationis exercitium non valet consequentia. Neque sufficiens erit ratio, propter quam Secretariis hocce exercitium in alio Judicio denegatum ire velimus, quam quæstionem affirmans Schilger in Dissert. de Secretariis, cap. 7. pluribus exposuit.

§. XXXIV.

Quatenus itaque Judex Advocati officio fungi possit, ex dictis apparet. Alia vero adhuc superest quæstio: an scilicet Advocatus possit simul fungi officio Judicis, ad quam, si non de eodem, sed de diversis intelligatur Judiciis, ut potius affirmative, quam negative respondeam, observantia vsu recepta moveor: Admodum enim frequens est, hujus vel illius Judicii, etiam Cameræ Imperialis Advocatos, in aliis v. g. Nobilium Judiciis, Jurisdictioni præesse, horumque vice Jus reddere, qui hoc respectu etiam dicuntur *Räthe* / in aliis locis, *Berichts-Verwalter*. Rationes, quæ dubiam reddere possunt hanc assertionem, exhibuit Jam §. 27. Præcipua illarum erat, quod unus duobus nequeat præesse officiis, ad quam latius respondit Carpzov. in Dec. 194. asserens n. 9. non tantum duplicis, sed etiam triplicis officii administrationem tuto alicui committi posse, modo talia officia sibi invicem non repugnent, sed sese mutuo compatiantur, id quod n. 17. in specie de hoc casu affirmat.

§. XXXV.

Prona quidem est consequentia, multo magis in Advocatum, quoad diversas, quibus non patrocinator, causas, compromitti posse. Verum hoc non satis certum esse videtur, an etiam in una eademque causa arbitrium suscipere queat. Dubium certe non leve exoritur ex illa, quam erga clientis sui causam fover, affectione, vi cujus vix ac ne vix quidem contra hunc pronuntiabit, cum Justiorem semper se defendere causam quilibet præsumat, & secundum Brunnem. ad L. ult. C. de recept. arbitr. n. 2. ille qui Judex esse nequit, nec arbiter esse potest, atqui ille, qui fuit Advocatus, non potest esse Judex in eadem causa, vid. supr. §. 21. Ergo. Ast hisce non obstantibus omnino affirmandum erit, in Advocatum quoad eandem causam licite compromitti posse, cum enim arbiter sola libera litigantium voluntate & consensu constituatur, partes favori pro se introducto, & præsumptioni ex affectione oriundæ renunciassent, illumque approbasse factio suo satis decla-

deklarant, quod eo magis adhuc tum procedit, quando in utriusque partis Advocatum conjunctim fuit compromissum. Imo consensum partium etiam efficere posse, ut ille, qui antea fuit Advocatus, nunc de eadem causa valide judicare possit, tradunt Alex. & Jason in L. soler. ff. de Jurisdic. Aym. Conf. 199. n. 14. cum tamen alias notum sit, quod fungens hoc in casu officio Judicis & Advocati, nulliter judicet, & insuper puniatur. Franc. Marc. Dec. 698, p. 1.

§. XXXVI.

Supereft adhuc affinis aliqua, coronidis loco adjicienda quæstio: An scilicet Advocatus causarum privatarum, postquam Fiscus Advocatus factus est, in eadem causa, contra suum, cui antea adstitit, clientem nunc Fiscus nomine agere possit? Negantibus porius, quam affirmantibus, accedendum esse videtur, eo quod Patronus Fiscus hoc in casu contra Juramentum, ab initio Advocationis suæ præstitum peccans, a crimine prævaricationis vix absolvi possit, dum cognitis unius fundamentis in alteram partem transit, & adversarium adjuvat, vid. L. 4. §. 4. ff. de his qui not. infam. illum, quem antea defendit accusando, & quem antea accusavit defendendo, cum tamen Advocatus in una causa non possit utrique parti operam suam commodare, nequidem successive, si unam deferere & ad aliam defendendam transire velit, Brunnem. ad L. ult. ff. de postul. Et licet ille, qui clientuli sui causam sive in publico sive in privato iudicio prodidit, prævaricator proprie dici non possit, L. 1. §. 1. ff. de prævaric. prævaricatum tamen esse (in latiori scilicet significatione) & puniri debere dicitur in alleg. L. 1. in fin. & L. 3. §. 2. d. t. L. 1. Cod. de advoc. 1. Propterea hanc quæstionem illis casibus, quibus Fiscus Patrono etiam contra Fiscum agere permittitur (de quibus vid. L. 10. & 11. ff. de postul.) annumerandam esse, haud abs re existimes: Ast lege non excipiente, regulæ insitimus, quod nempe illi, qui causas Fiscus agunt, adversus hunc patrocinium præstare prohibeantur L. 1. Cod. de advoc. Fisc. Affirmantium itaque sententiam prævalere verius est, minime enim Advocatus Fiscus juramento priori contravenit, utpote quod ipsi quoad hunc

hunc passum , per posterius est remissum : Nec prævaricationis reus
 haberi poterit , quoniam culpa & dolo caret , sed necessitate officii a-
 git , quæ ipsum in omnibus satis excusat L. 5. §. 13. de his quæ ut in-
 dign. adeo ut affirmativa promiscue , sive causa in foro civili hactenus
 ventilata ibidem retineatur , sive ad forum criminale , uti sæpius fieri
 amat , ablegetur , procedat , quæ enim ex necessitate fiunt , non di-
 cuntur fieri in fraudem , Godazin. Conf. 87. n. 15. & secundum hanc
 sententiam decisum est in Illustri Regimine Giessensi anno 1708.

in Sachen Fürstl. Hessischen Fiscalis contra
 Genth von Silberg.

S. D. G.








X2368855







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

7.

Præb. num. 7. #
1727 #2

DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE
**JUDICE ADVO-
CATO,**

P. 461

QVAM,
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
INDULTU ET DECRETO
INCLYTÆ
FACULTATIS JURIDICÆ,
IN ALMA LVDOVICIANA,

PRO
SUMMIS IN VTROQUE JURE
HONORIBVS AC PRIVI-

LEGIS RITE CONSEQVENDIS,
PUBLICO
MAGNIF. ET EXCELL. DN. PROFESSORUM
EXAMINI SVBMITTIT

AD DIEM APRIL. MDCCXXVII.
JOH. HARDMUTH RAYS,

ZWINGENBERGA-HASSO-DARMSTADINUS,
PER-ILLUSTRIS REGIMINIS GIESSENSIS ADVOC. ET PROC. ORD.

GIESSÆ,
TYPIS VID. JOH. REINH. VULPII, ACAD. TYPOGR.

